

CASUS XVIII.

HONESTAS 1°.

1° KILIANUS, ROSALIAM sibi desponsatam et a se corruptam invisendo, familiarius agere cœpit cum EUPHEMIA ejus sorore, quæ paulo post gravida effecta est. Cum autem ROSALIA interea, repentino morbo correpta, e vivis fuisset sublata, sceleris tegendi et vitandæ infamiæ causa, EUPHEMIAM statim matrimonio sibi copulavit.

2° DANIEL, contractis sponsalibus cum EULALIA, peccavit cum ANNA, ejusdem sorore. EULALIA autem cum comperisset sororem suam gravidam evasisse, statim e jure suo cessit, ut ipsam loco sui duceret sponsus, sicque totius familiæ famam periclitantem salvaret.

HINC :

QUÆR. 1° *Quomodo contrahatur honestatis impedimentum?*

2° *An validum fuerit matrimonium KILIANI cum EUPHEMIA in primo casu?*

3° *An validum fuerit matrimonium DANIELIS cum ANNA in secundo casu; vel quid ipsi fuisset faciendum?*

SOLUTIO :

975. — *R. ad 1^m Quæs.* Impedimentum publicæ honestatis oritur tum ex sponsalibus validis, tum ex matrimonio rato, inter unum sponsum et consanguineos alterius. Si prius, dirimit ad primum gradum; si posterius, dirimit ad quartum, licet sit invalidum, modo invaliditas ex defectu consensus non proveniat. Non irritat tamen sponsalia prius inita cum consanguinea in primo gradu. Ex Jure canonico constat. *V. Comp. n. 816.*

976. — *R. ad 2^m Quæs.* Matrimonium KILIANI cum EUPHEMIA ex duplici ratione invalidum fuit, scilicet, ex impedimento affinitatis et publicæ honestatis. 1° Ex impedimento affinitatis. Etenim KILIANUS, fornicando cum sponsa sua ROSALIA, contraxit affinitatem cum omnibus ejusdem consanguineis, ad secundum gradum: ergo contraxit affinitatem cum EUPHEMIA, ROSALIE sorore. 2° Ex impedimento publicæ honestatis. Impedimentum enim illud oritur ex sponsalibus validis, et in primo gradu consanguinitatis dirimit. Ergo KILIANUS, initis sponsalibus cum ROSALIA, illud impedimentum contraxit erga EUPHEMIAM ROSALIE sororem. Igitur, pro validando matrimonio, ad duplicem dispensationem recurrendum est. *Elbel, n. 214.*

977. — *R. ad 3^m Quæs.* Matrimonium DANIELIS cum ANNA celebratum non valet, ob impedimentum publicæ honestatis exortum ex sponsalibus initis DANIELEM inter et EULALIAM, ANNE sororem. Nec refert quod hæc sponsalia mutuo consensu soluta fuerint, et EULALIA omnino e jure suo cesserit, quia illud impedimentum semel contractum non cessat, nisi per dispensationem. Ita declaravit *S. Cong. Conc. Trid. apud Fagnanum.* DANIEL igitur ad dispensationem pontificiam recurrere debet, matrimonii convalidandi gratia. *Voit, n. 1329.*

CASUS XIX.

HONESTAS 2°.

1° ELIGIUS, cupiens ELODIAM ducere, id patri suo significavit, ut ejus consensum obtineret. Pater autem, vir austerus et magna auctoritate apud filium pollens, præcepit ut non illam, sed ejus sororem duceret, ANNAM nempe, quæ ab avunculo suo amplum acceperat legatum, et, invitum, minis, ad sponsalia cum ANNA contrahenda induxit. Hisce initis, antequam matrimonium celebraretur, obiit pater. Tum ELIGIUS, neglecta ANNA, cum ELODIA conjugium inivit.

2° CLOTILDES, perpetuæ castitatis voto obstricta, sponsalia nihilominus contraxit cum ANTONIO; sed postea, eo ob senium relicto, matrimonium inivit cum PAULO, ANTONII filio. Paulo post CLOTILDES cum ad confitendum accessisset, graviter carpitur a Confessario, qui ei matrimonii usum prohibet usquedum dispensationem obtinuerit, tum a voto castitatis, tum ab impedimento ex sponsalibus prioribus orto.

3° PETRUS dicit AMELIE: « Te duco in uxorem. » AMELIA vero statim reposuit: « Et ego te in meum maritum. » Sed, inito hujusmodi matrimonio clandestino, mox PETRUS vivis valedicit. AMELIA autem, solatii causa, JOANNI, ejusdem patri, nubere properat.

HINC :

QUÆR. 1° *An validum fuerit matrimonium inter ELIGIUM et ELODIAM contractum, in primo casu?*

2° *An validum fuerit matrimonium CLOTILDIS cum PAULO secundo casu, et quid de Confessarii decisione?*

3° *An valeat matrimonium AMELIE cum JOANNE in proposito tertio casu?*

SOLUTIO :

978. — *R. ad 1^m Quæs.* Validum fuit matrimonium inter ELIGIUM et ELODIAM celebratum. Etenim, si quid obstaret, esset contractus sponsalitus cum ANNA sorore ELODIE habitus, ex quo impedimentum publicæ honestatis induceretur; atqui hoc minime obstat: nam contractus ille, utpote sub influxu metus reverentialis, et quidem gravis, initus, plane irritus factus est. Porro sponsalia nulla nullum pariunt impedimentum. Ergo ELIGIUS nullo vinculo impeditus fuit a conjugio cum ELODIA ineundo.

979. — *R. ad 2^m Quæs.* Matrimonium CLOTILDIS fuit quidem illicitum, utpote contra Religionem, seu cum voto castitatis initus; sed ut validum habendum est. Ratio est, quia sponsalia cum ANTONIO inita stante prædicto voto, fuerunt prorsus irrita, utpote de objecto illicito contracta. Atqui ex sponsalibus nullis nullum oritur impedimentum publicæ honestatis: ergo matrimonium, licet illicitum, fuit tamen omnino validum. Quid igitur de Confessarii decisione? Bene quidem fecit Confessarius de-

biti petitionem CLOTILDI interdicendo usquedum obtinisset dispensationem a voto castitatis, sive ab Episcopo, sive ab aliquo delegato; sed male fecit ei debiti redditionem prohibendo, cum ad id titulo justitiæ teneatur. A fortiori graviter erravit Confessarius præscribendo CLOTILDI ut dispensationem ab impedimento publicæ honestatis obtineret, cum nullum ejusmodi impedimentum existeret, ut patet ex dictis. *Elbel, n. 216.*

980. — *R. ad 3^m Quæ.* Non valet matrimonium AMELLÆ cum JOANNE contractum; obstat enim impedimentum publicæ honestatis, ex matrimonio præcedente cum PETRO inito exortum. Etenim, licet matrimonium illud fuerit nullum, utpote clandestinum, inducit tamen impedimentum publicæ honestatis, quod etiam a matrimonio invalido provenit, modo invaliditas ex defectu consensus non proveniat. Ita communiter *Bonacina, Diana, Henriquez*, qui in *Decisione S. Cong. Conc. innititur.* — *Collet, Traité des dispenses, l. 2, part. 1, c. 10*

CASUS XX.

CRIMEN 1^o.

MARTIALIS, ægrotante graviter uxore, adulterium, adjuncta matrimonii promissione, commisit cum FLORINA, quæ, vinculi complicitis ignara, promissionem acceptare videtur, quin tamen repromittat. Mortua autem uxore, initoque promisso matrimonio, MARTIALIS novum patrat adulterium cum MOEVIA. Sed cum hanc mox gravidam evasisse comperisset, novam uxorem, propinato veneno, interimit, ut posteriori adulteræ copulari, famamque servare possit.

HINC :

QUER. 1^o *In quo consistat criminis impedimentum?*

2^o *An valeat matrimonium MARTIALIS sive cum FLORINA, sive cum MOEVIA?*

SOLUTIO :

981. — *R. ad 1^m Quæ.* Impedimentum criminis oritur ex adulterio, vel ex homicidio, vel ex utroque simul conjuncto, sequentibus positis conditionibus :

1^o Adulterium solum, sed ex utraque parte formale, et cum promissione matrimonii acceptata.

2^o Homicidium solum, ex communi conspiratione, cum intentione matrimonii, saltem ab uno habita et alteri manifestata.

3^o Utrumque simul, cum intentione matrimonii ab uno saltem habita, et etiam *probabilius* alteri manifestata. Sed non requiritur matrimonii promissio, neque mutua conspiratio. *V. Comp. n. 820.*

982. — *R. ad 2^m Quæ.* 1^o Validum est matrimonium MARTIALIS cum FLORINA, quia hæc, nesciens hominem esse vinculo conjugii ligatum, non commisit adulterium formale, sed materiale tantum. Requiritur enim ad impedimentum contrahendum, ut adulterium sit ex utraque parte formale.

983. — 2^o Validum quoque est posterius matrimonium ejusdem MARTIALIS cum MOEVIA initum, siquidem nullum apparet impedimentum. Etenim non datur impedimentum ex adulterio solo, quia deest promissio matrimonii; neque ex homicidio solo, quia deest mutua conspiratio; neque ex utroque simul, quia MARTIALIS intentionem matrimonii compliciti suæ non manifestavit: hæc enim manifestatio *probabilius* requiritur *S. Lig. n. 1036.*

CASUS XXI.

CRIMEN 2^o.

1^o LEONILLA, mariti sui, longævi nimis et infirmitatibus obruti per-tæsa, cum frustra, ut e vivis tandem abiret, centies vota emisisset, quadam die, in cubiculo suo clausa, sciensque se a famulo suo audiri posse, sic alta voce ingemiscit: O bone Deus! si tandem a tam dira peste liberari possem, quam libenter, loco sordidi istius senis, juveni famulo meo nuberem!... Hæc audiens famulus, spe matrimonii impulsus, impiger ad senis lectulum pergens misero ad citius moriendum præbet auxilium. Transacto autem luctus tempore, dominam ducit.

2^o ANNA, conjugata, peccat pluries cum famulo suo, cum promissione matrimonii acceptata. Ecce ægrotat maritus. Famulus, inscia ANNA, proculum venenatum porrigit seni. Hic infra quadrantem exstinguitur, et famulus matrimonio cum ANNA copulatur.

HINC :

QUER. 1^o *An valeat matrimonium LEONILLE cum famulo in primo casu?*

2^o *An ANNA duplici impedimento obstringatur in secundo casu?*

SOLUTIO :

984. — *R. ad 1^m Quæ.* Valet matrimonium LEONILLE cum famulo initum. Ratio est, quia deest machinatio mortis, seu reciprocus consensus in necem miserandi senis. Licet enim LEONILLA in hunc querimonias protulerit, audiente famulo, et intentionem matrimonii ei manifestaverit at-tamen non intercessit mutua conventio in mortem mariti; et reapse famulus, inscia domina, hominem occidit. Ergo nullum impedimentum, ratione homicidii, contractum est. Ergo valet matrimonium inter LEONILLAM et famulum celebratum.

985. — *R. ad 2^m Quæ.* ANNA unico obstringitur impedimento, scilicet, ratione adulterii solius. Nullum enim intercedit impedimentum quoad homicidium. Ratio est, quia ANNA plane ignoravit famulum homicidium in suum maritum patraturum esse. Ergo defuit mutua conspiratio in necem mariti. Ergo nullum adest ex hac parte impedimentum; sed, stante primo impedimento, ratione adulterii, matrimonium ANNÆ cum famulo suo celebratum est simpliciter irritum, et proinde vel conjuges separandi sunt, vel ad dispensationem, convalidandi conjugii gratia, recurrere debent.

CASUS XXII.

CRIMEN 3°.

DONATUS MELANIAM conjugatam, ficta matrimonii promissione, in adulterium induxit. Moritur MELANIÆ maritus, eam honorum suorum hæredem relinquens. DONATUS vero, ut illas divitias consequeretur, promissas nuptias cum vidua celebravit, sobolemque suscepit. Verum mox ob gravissima dissidia, uxorem deserit, et audiens de criminis impedimento, a Confessario petit utrum illud incurrerit, et ad alias nuptias convolare possit? Respondet Confessarius eum non incurrisse impedimentum, ex eo quod illud ignoraverit: ideoque ipsi in conjugio perseverandum, et molestias uxoris patienter tolerandas esse. Sed postea ipse Confessarius dubitat anxius utrum recte dixerit.

HINC:

QUÆR. 1° *An fuerit criminis impedimentum in casu?*

2° *An recte dixerit Confessarius, impedimentum illud ob ignorantiam non fuisse contractum?*

SOLUTIO:

986. — *R. ad 1^m Quæs.* Validum est matrimonium a DONATO et MELANIA contractum. Ratio est, quia DONATUS fide tantum nuptias MELANIÆ promisit. Promissio autem ficta non est vera promissio. Ergo deest conditio requisita ad impedimentum constituendum. Ergo nihil obstat valori matrimonii. Etenim jus requirens promissionem matrimonii ut impedimentum contrahatur, de vera promissione, non vero de ficta intelligi debet; siquidem hic agitur de materia odiosa, in qua stricta interpretatio facienda est. Nec obstat quod lex intendat impedire periculum mortis alterius conjugis, et quod promissio ficta inducere possit partem deceptam ad mortem conjugis procurandam; nam finis præcepti non cadit sub præcepto, et lex strictæ interpretationis esse debet. *S. Lig. n. 1039. — Elbel, n. 175. — Lacroix, n. 625, et alii saltem probabilius et communius, contra plures, qui dicunt oriri impedimentum criminis ex ficta promissione; quia ficta promissio, haud secus ac vera, inducit periculum conjugicidii, quod lex amovere intendit.*

987. — *R. ad 2^m Quæs.* Erravit Confessarius asserendo nullum subesse impedimentum, ratione ignorantiae. Illa enim ratio non valet, siquidem ignorantia effectum legis irritantis non impedit. Nec obstat quod impedimentum criminis constitutum sit in pœnam criminis; lex enim illa Ecclesiæ est simul irritans et pœnalis. Ergo, si irritum sit DONATI connubium ejus invaliditas non ex ignorantia legis, sed ex defectu veræ promissionis matrimonialis repetenda est.

CASUS XXIII.

CRIMEN 4°.

1° EVRALDUS, conjugatus, ignorans JULIAM esse conjugatam, in crimen eam adducit, cum matrimonii promissione, si a præsentem vinculo ipse

solvatur. Annuit ad omnia mulier. Paulo post tum EVRALDUS, tum JULIA eodem fere tempore comparte destituuntur, et ambo novo matrimonii vinculo simul copulantur.

2° LEOFRIDUS, liber, sollicitans TRANSILIAM PAULINO conjugatam ad crimen patrandum, ei matrimonium promisit, si vir ejus moreretur. TARSILIA sollicitationi quidem acquievit, sed nihil repromisit, seu de cætero tacuit. Mortuo PAULINO, matrimonium subsecutum est.

HINC:

QUÆR. 1° *An sit impedimentum criminis in primo casu?*

2° *Quid de valore matrimonii in secundo casu?*

SOLUTIO:

988. — *R. ad 1^m Quæs.* Datur verum criminis impedimentum. Ratio est, quia ad impedimentum criminis requiritur adulterium formale cum matrimonii promissione acceptata. Atqui hæ conditiones in nostro casu habentur. Ergo... Nec obstat quod EVRALDUS ignoraverit JULIAM esse conjugatam: nam minime requiritur ut uterque adulter alterius conjugium cognoscat, et proinde ut uterque sciat se duplex patrare adulterium; sed sufficit ut mulier sciat virum esse conjugatum, aut vice versa, et copula habeatur inter eos cum promissione matrimonii acceptata. Tunc enim concurrunt adulterium formale et promissio matrimonii, ex quibus criminis impedimentum exurgit. Ergo in casu satis est quod JULIA ligamen EVRALDI noverit. Ergo reapse invalide isti matrimonium contraxerunt.

989. — *R. ad 2^m Quæs.* valet matrimonium inter LEOFRIDUM et TARSILIAM contractum: nullum enim fuit criminis impedimentum. Ratio est, quia adulterium solum non inducit impedimentum criminis, nisi accedat non tantum promissio matrimonii, sed etiam acceptatio proprie dicta; promissio enim in contractu non valet sine acceptance. Atqui in casu non habetur talis acceptatio, cum TARSILIA, concedendo usum corporis, de nuptiis futuris tacuerit. Ergo nullum datur impedimentum.

990. — *Objicies:* TARSILIA non contradixit promissioni; ergo censenda est acceptasse: *qui enim tacet, consentire videtur.*

R. Neg. consequens. Licet enim in favorabilibus valeat axioma: *Qui tacet, consentire videtur;* non tamen idem præsumitur in onerosis ut est matrimonium, nec in odiosis ut est res quæ post se trahit impedimentum criminis. Ergo ex taciturnitate TARSILIA præsumi non debet acceptasse promissum, sed potius ex motivo libidinis explendæ, vel ex alia causa, consensisse in copulam. *Elbel, n. 165. — Bonacina et alii non pauci, contra alios.*

CASUS XXIV.

CRIMEN 5°.

1° CHRYSANTUS promisit FLAVIÆ conjugatæ, se eam ducturum esse post viri mortem. Postea amore RUFINÆ captus, eam duxit uxorem. Stante autem hoc matrimonio, CHRYSANTUS in adulterium cum FLAVIA

lapsus est. Subinde contigit ut CHRYSANTUS, simul fere ac FLAVIA, conjugē suo orbaretur. Tunc luctum in gaudium novi conjugii commutarunt.

2° ROMILIUS, liber, adulterio cum BERTA, uxore TITHI, patrato, amore PELAGIE captus, cum ea nuptias inivit. Verum, cum ei mox exosa evaserit, matrimonium promittit BERTÆ, post TITHI et PELAGIE mortem contrahendum, quod tempore suo præstiterunt.

HINC :

- QUÆR. 1° An CHRYSANTUS et FLAVIA valide contraxerint in primo casu?
2° An valeat matrimonium ROMILII et BERTÆ in secundo casu?

SOLUTIO :

991. — *R. ad 1^m Quæst. Affirm.* Nullum enim subest criminis impedimentum. Ratio est, quia, ut istud impedimentum inducatur, debent simul concurrere tum adulterium, tum matrimonii promissio. Atqui in casu hoc non adimpletur. Etenim promissio a CHRYSANTO erga FLAVIAM facta, ante adulterium retractata fuit, saltem implicite, per matrimonium cum RUFINA contractum, post promissionem FLAVIÆ factam, et ante adulterium patratum. Ergo non steterunt simul unquam promissio et adulterium. Ergo nullum subest criminis impedimentum. Ergo stat matrimonium.

992. — *R. ad 2^m Quæst.* Non valet hoc matrimonium, quia obstat criminis impedimentum. Etenim ad istud impedimentum inducendum sufficit ut concurrant adulterium et promissio matrimonii, stante eodem conjugio. Atqui in casu nostro hæc duo concurrunt. Fuit enim adulterium formale, quod per conjugium cum PELAGIA non sublatum est. Adfuit etiam matrimonii promissio, quæ nullo modo retractata est, ne implicite quidem, et quæ sufficit ad impedimentum inducendum, sive adulterium præcedat, sive subsequatur. Ergo...

CASUS XXV.

METUS 1°.

RUFINUS sibi proponebat nuptias inire cum GETULIA, puella præclaris dotibus exornata. RUFUS vero, ejus pater, re cognita, mandat ut, posthabita GETULIA, filius ducat LAURENTIAM, majoribus divitiis abundantem. Patri significat RUFINUS non sibi placere LAURENTIAM, nec se unquam matrimonio cum ea contrahendo consensurum esse. Tum, ira excandescens RUFUS, minis et sævitiis diu repetitis, filium ad suæ voluntati obtemperandum impellit. RUFINUS, indole timidus, tot malis fractus, ac graviora metuens, invitus et reluctans patri acquiescit, matrimoniumque cum LAURENTIA perficit.

HINC :

- QUÆR. 1° Qualis metus matrimonium dirimat?
2° An validum sit RUFINI matrimonium?
3° Quid ei suadendum, aut præcipiendum?

SOLUTIO :

993. — *R. ad 1^m Quæst.* Metus gravis impedimentum dirimens matrimonii certo constituit *de Jure canonico*, et *probabilius* etiam *de jure naturali*. Sed ad hoc requiritur ut metus incutiatur a causa libera, et injuste, atque in finem matrimonii contrahendi. *Vide Comp. n. 832, et S. Lig. n. 1045 et seq.*

994. — *R. ad 2^m Quæst.* Matrimonium RUFINI ut invalidum prorsus habendum est. Ratio est, quia metus a patre in filium incussus gaudet omnibus conditionibus requisitis ad impedimentum dirimens constituendum. Etenim : 1° fuit gravis, cum minæ et sævitiæ diu repetitæ adhibitæ fuerint; 2° incussus est a causa libera, seu a RUFO, RUFINI genitore; 3° metus fuit injustus, siquidem læsit graviter jus quod habent filii de statu vitæ libere eligendo; 4° metus fuit incussus ad cogendum filium, ut duceret puellam a qua abhorrebat. Ergo reapse irritum est connubium illud. *S. Lig. n. 1049. — Sanchez, Conc. etc.*

995. — *R. ad 3^m Quæst.* Quid vero RUFINO agendum? Quoad forum internum, suæ libertati relinquendum est. Si consensum prius metu extortum renovare velit, sic matrimonium convalidabit, supplendo scilicet quod in celebratione nuptiarum defuit et erat essentialiter requisitum. Si matrimonium sponte consummet, implicite consensum ratum habere, et consequenter connubium convalidare censetur. Quod si nolit cum sponsa cohabitare, discedere potest, et ad alias nuptias convolare, saltem quoad forum internum. Sed hoc ei, prudentiæ causa, Confessarius minime suadebit.

CASUS XXVI.

METUS 2°.

LEONARDUS, castitatis voto jam pridem emisso, VERONICAM sub matrimonii promissione defloravit. Postea vero promissis stare noluit, voti impedimentum adducens. ALBERICUS, VERONICÆ frater studio theologiæ addictus, declaravit LEONARDUM in his adjunctis obligari ad dispensationem voti postulandam; imo et licitum esse nuptias absque dispensatione celebrare, cessante tunc voti lege. Alii duo VERONICÆ fratres, rerum theologicarum ignari, alio argumentorum genere utebantur, minis nempe gravissimis, ni quantocius LEONARDUS sororem suam duceret. Quid tunc miser? Ut majora mala vitaret, matrimonium cum VERONICA celebravit.

HINC :

- QUÆR. 1° An LEONARDUS, non obstante voto, ad nuptias cum VERONICA ineundas obligatus fuerit?
2° An sine dispensatione voti contrahere potuisset?
3° An validum fuerit matrimonium, vel quid agendum?

SOLUTIO :

996. — *R. ad 1^m Quæst. Nego*, ex duplici causa. Etenim : 1° Promissio matrimonii, stante voto castitatis, fuit de re prorsus illicita, et proinde non

obligat. Non potuit LEONARDUS promittere creaturæ id quod jam Deo per votum dicaverat. *V. Comp. n. 731. S. Lig. n. 873.*

Objiciunt aliqui: Ille qui vovisset se templum ædificaturum, vel omnia sua bona largiturum pauperibus, si postea alios damnis, vel se alieno ære gravet, a damnis reparandis debitisque solvendis non evadet immunis, ut voto satisfaciatur. Ergo idem de voto castitatis pronuntiandum.

R. 1° Neg. suppositum, scilicet, quod in casu sit injuria reparanda; etenim, ut VERONICA jus aliquod acquisierit ex promissione matrimonii, debuisset illa promissio esse valida. Atqui ex dictis prorsus invalida fuit. Ergo... Quod si revera aliquod damnum consecutum sit, v. g. si proles ex fornicatione nata fuerit, alio modo, puta per pecuniam compensari potest; vel si reparari nequeat nisi per matrimonium, illud non *per se*, sed per accidens eveniet.

2° Eadem matrimonii promissio illicita etiam fuit, et proinde invalida, ex eo quod sub conditione turpi facta sit. Conditio enim turpis apposta, seu de peccato patrandi, essentialiter vitiat contractum sponsalium, ut supra diximus de sponsalibus, *Cas. 1, ad Quæst. 3^m*. Ergo LEONARDUS minime tenetur ad nuptias cum VERONICA ineundas.

997. — *R. ad 2^m Quæst. Neg.* Ratio est, quia, contrahendo matrimonium cum voto castitatis, LEONARDUS exponeretur periculo proximo violandi votum suum, vel jus compartis in usu conjugii. Sic communiter Theologi contra paucos, qui dicunt valere sponsalia non obstante voto castitatis, et proinde ruere obligationem voti, ut obligatio justitiæ serveatur. Sed ab illa sententia quam longissime recedendum est. LEONARDUS igitur ad dispensationem pontificiam recurrere debet, antequam matrimonium ineat.

998. — *R. ad 3^m Quæst.* Matrimonium videtur invalidum. Etenim, si LEONARDUS, minis adductus, fecte consentit, simulando matrimonii celebrationem, invalidum est matrimonium, ut patet. Deficiente autem consensu, contractum etiam deficere necesse est. Si verum præstitit consensum, etiam tunc matrimonium reputandum est invalidum, utpote ex metu gravi initum. Metus enim a fratribus VERONICÆ incussus, in finem LEONARDI ad matrimonium adigendi, gravis fuit et *injustus*, saltem *quoad modum* reparationis. Secus vero si fratres puellæ minas LEONARDO intendant non quidem intuitu matrimonii, sed ratione injuriæ ulciscendæ, et hic ad eos placandos serio in matrimonium consensisset. Tunc enim metus non fuisset injustus in ordine ad matrimonium contrahendum. *S. Lig. n. 1049.*

CASUS XXVII.

CULTUS DISPARITAS 1°.

ZEBINA, catholica, matrimonium contraxit cum ALMACHIO, hæretico, hac expressa conditione, ut proles in Religione catholica essent educandæ, juxta id quod a Summo Pontifice fuerat præscriptum in concessa dispensatione ab impedimento disparitatis cultus. Elapso autem triennio, cum

ZEBINA cogeretur ut prolem natam in hæreticorum doctrinis institueret, imo et ipsa hæresim amplecteretur, clam cum prole sua aufugit, et alibi cum catholico novum inivit matrimonium.

HINC :

- QUÆR. 1° *Qualis cultus disparitas matrimonium dirimat?*
 2° *A quo dispensatio hujus impedimenti petenda sit?*
 3° *An valeat matrimonium mixtum, si sponsi nolunt adimplere conditionem, ut omnes filii in Religione catholica educantur?*
 4° *Quid ad casum?*

SOLUTIO :

999. — *R. ad 1^m Quæst.* Cultus disparitas inter baptizatum et infidelem, matrimonium prorsus invalidum efficit; inter baptizatos autem illicitum tantum reddit. *V. Comp. n. 824. — S. Lig. n. 1044.*

1000. — *R. ad 2^m Quæst.* Dispensatio ab impedimento disparitatis cultus a solo Papa obtinenda est, licet agatur de impedimento impediens tantum, seu de connubio inter catholicum et hæreticam ineundo. Ecclesia enim nunquam hujusmodi dispensationem Episcopis committere voluit, ne facilius talia matrimonia celebrarentur. *V. Comp. n. 826.*

1001. — *R. ad 3^m Quæst. Dist.* : si agatur de matrimonio inter catholicum et infidelem, non valet; quia dispensatio est conditionalis, proinde, si conditio non acceptetur, ruit ipso facto dispensatio: si vero agatur de connubio inter catholicum et hæreticam, aut vice versa, semper erit validum. Tunc enim impedimentum ipsum est impediens tantum, et matrimonium etiam sine dispensatione est semper validum. Ergo voluntas in sponsis non adimplendi conditionem, contractum matrimoniale irritare nequit.

1002. — *R. ad 4^m Quæst.* ZEBINA invalide secundum matrimonium contraxit, quia primum fuit validum, et proinde indissolubile. Potuit tamen ZEBINA separari a toro et habitatione, ut salutem prolis vel suæ consulere.

CASUS XXVIII.

CULTUS DISPARITAS 2°.

ONUPHRIUS, Parochus, in regione ubi catholici cum hæreticis mixte vivunt, variis rogatus matrimoniis mixtis assistit: 1° quidem matrimonio TITH et BERTÆ, qui a Summo Pontifice dispensationem obtinuerunt; 2° matrimonio CAII et CALÆ, qui, obtenta dispensatione, nolunt consentire conditioni præscriptæ, ut omnes filii in religione catholica educantur; 3° matrimonio PAULI et PAULINÆ, qui sine dispensatione contrahunt, imo et jam coram ministro hæretico contraxerunt.

HINC :

- QUÆR. 1° *An, vel quando Parochus matrimoniis mixtis assistere possit et sponso benedicere?*
 2° *Quid ad triplicem casum?*